



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

An possit Innocens Adulterum non repellere? parag. 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

§. IV.

An possit innocens adulterium non repellere?

1. Diximus hactenus, posse Innocentem divertere, nunc inquiri, an obligetur?

Respondeo, regulariter non a obligari, quia quilibet juri suo cedere potest, nec aliud caput assignari valet, unde hæc obligatio oriatur.

2. Dixi (regulariter) nam in aliquo gravissimo casu obligaretur; quando enim dimissio v. grat. uxoris esset apta sine ullo inconveniente ad emendationem dictæ uxoris, quæ, si non esset dimissa, perseveraret in peccato, vel, quando dicta dimissio esset apta ad delendum scandalum, quod habent Populi de viro, quasi is patrocinetur adulterio uxoris, & eadem dimissio esset non valde incommoda ipsi viro, essetque item unicuique medium sufficiens ad dictam emendationem ponendam, vel ad dictum scandalum amovendum, quando, inquam, adessent hæc, obligaretur innocens divertere, ut fuscæ habent Sanchez b aliique.

b San. l. 10 d. 13. G. Hurtd. 11. diff. 4. Coninc. d. 35. dub. 3.

§. V.

Quenam certitudo Adulterii requiritur ad diverterendum?

1. Cum conjuges sint in possessione maritalis conjunctionis, non possunt ab ea per Divortium deturbari, nisi adsit certitudo causæ, seu delicti Divortium inducentis. Hinc non satis est, quod alter dubitet, vel probabiliter suspicetur de alterius delicto, ut illum dimittat; Regula enim generalis alibi allata est, neminem posse à matre rei, vel juris possessione dejici, nisi certò moraliter constet titulus, unde ejici possit ab illa. & ita docent in nostro casu de Divortio omnes DD. ut restatur Castrop. c.

c Cast. d. 3. p. 6. §. 4. n. 7. & colligitur ex c. De spons. d. Cap. dixit Dominus 32. q. 1. c. Cast. l. c. 2. §. fine.

2. Si quando ergo in alio d Textu dicitur, dimitti posse uxorem ob suspicionem Fornicationis, intelligitur, ob suspicionem violentam, & in sententia probabili Farinacii, aliorumque apud Castropal. e ob suspicionem

vehementem, ex qua fieri rem moraliter certam, idem Farinaceus putat.

3. Si inquiras, quoad effectum Divortii (nam quoad alios effectus, qui ad nos nunc pertinent, vide citatos) quænam conjectura, seu probationes certitudinem hanc moralem faciant de adulterio commisso?

4. Respondeo, Certum esse, eas, quæ, si in judicio exhiberentur ad probationem adulterii, illud ibi sufficienter probarent, sufficere etiam, ut illud privatim constet. Sed descendendo magis ad signa particularia, Dico, quando adulter publicè moratur in domo adulteræ, seu contra, vel, quando extant filii ex adulterio, vel, quando extat suspicio violenta, ut, si fuerit inventus nudus cum nuda, vel solus cum sola in eodem toro, certitudo moralis delicti est.

5. Oscula, & amplexus sola non sufficiunt ad moralem certitudinem de adulterio, sufficiunt autem adminiculata cum aliis conjecturis v. g. à tempore, à loco, à mora: Puta, si ea fuerint in loco secreto, & tempore apto ad delictum, vel quid simile.

6. Amatoriæ litteræ dumtaxat, non sufficiunt, at, si in iis mentio fiat de copula habita, planè sufficiunt.

7. Confessio propria serio facta item sufficit, non verò facta ad se jactandum: id, quod à circumstantiis colligi à prudenti debet, quæ jactantia potest etiam esse in præced. num.

8. Dictum alienjus testantis adulterium, testantis indicia violenta de illo, non sunt, nisi sit dictum fide dignissimi, vel plurim fide dignorum. Hæc sparsim apud Sanchez, aliosque.

9. Huc denique facit casus sequens. Berta est certò adultera, sed ejus vir Titius ne sciat id certò, solum enim de uxoris adulterio non subdubitat: ex quo motus, (sanè insufficienter ex dictis) eam deseruit, quæro, an Berta possit cogere Titium ad secum cohabitandum, & ad non negandum tori commercium?

10. Respondeo, Sanchez, g & Conincck z. V. ad apud Hurrad. ajunt, posse, quia separatio est momentanea pœna uxori infligenda: At, donec Titius certò sciat delictum, eam pœnam infligere justè non potest. Si ergo nondum Berta à suo Jure cohabitandi, & conversandi cum suo viro dejecta est, illum ad se revocare poterit.

II. At